

dem quas Venetus 616. Aeschyli tragoedias habet, eisdem versibus carentes Eumenides, sed Agamemnonem integrum. Eo codice et simul Farnesiano usus P. Victorius quae in codice Mediceo editionibusque Aldina, Robortelliana, Turnebiana Agamemnoni deerant primus supplevit. Collatione a Caspate Bencinio et Francisco Poggio facta usi sunt in Agamemnone Blomfieldius, in Eumenidibus Linwoodius. Denuo eum excussit Franzius. Hermannus eis etiam usus est quae Carolus Fridericus Weberus inde excerpterat.

*Farn.* Codex Farnesianus bibliothecae Neapolitanae (I. E. 5.), bombycinus, saeculo quarto decimo exeunte a Demetrio Triclinio, ut putant, scriptus. Certe Triclinii recensionem continet eiusque et Thomae Magistri scholia. Complectitur autem Aeschylea plane eadem quae Florentinus. Sed quum in codicibus Veneto et Florentino haud pauca quae in vetustiore et meliore libro Mediceo aut rectius scripta sunt, aut certe ita ut non moveant doctae interpolationis suspicionem, Byzantinorum grammaticorum commentis mutata sint, Triclinius multas alias mutationes audacius et constantiore studio intulit. Cum hoc Tricliniano libro Petrus Victorius Agamemnonem a se descriptum Gulielmi Sirleti opera collatum habuit. Denuo Agamemnonem excusserunt Petrus Elmsleius, qui quae inde exscripserat in Musei critici Cantabrigiensis volumine II. edidit, Hermannique gratia Immanuel Bekkerus. Eumenidum collatione, quam ab eodem Elmsleio factam esse putat, Linwoodius usus est.

Magna est eorum librorum multitudo qui tres tantum Aeschyli fabulas, Prometheum, Septem adversus Thebas, Persas, aut partem earum complectuntur. Eorum quos novimus ne meliores quidem ad Medicei praestantiam et vetustatem accedunt, neque sperari potest fore ut ex eis qui nondum sunt pervestigati multum utilitatis capiatur. Qui autem excussi sunt ab hominibus doctis, non sunt tam accurate excussi ut in genera describi possint. Itaque ex litterarum ordine nomina eorum enumerabimus.

*Arund.* Codex Arundelianus sive Seldenianus bibliothecae Bodleianae, de quo dixit Gaisfordius adn. ad Hephaest. p. 242. Libro chartaceo et recenti continentur Prometheus, Septem, Persae. Vsi sunt ipso codice Stanleius et quod ad Septem adversus